



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Disputationvm De Censuris In Commvni,
Excommunicatione, Svspensione, & Interdicto, itemque
de Irregularitate, Tomvs Qvintvs**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, Anno Domini M. DC. XVII.

9 An ignorantia Censuræ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94035](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94035)

84 Disp. IV. De causa propter quam censura ferri potest.

illam vitare. Negamus enim posse potentia proxima, quæ requirit consensum omnium, quæ ad volendum prærequiruntur. Cum vero instatur, quia, si tenetur, potest, cum obligatio supponat potentiam. Respondetur, per se quidem teneri, seu obligari talem hominem ad talem scientiam: ad quod satis est, quod, per se loquendo, fit in homine potestas, & quod talem unum secum afferat talem obligationem: Nihilominus tamen hic & nunc illam obligationem dicimus suspendi, vel potius hominem ab illa excusari, propter impotentiam proximam ac moralem, quæ ex naturali, ac necessaria obligatione, vel inconsideratione orta est.

19
Secundum
documen-
tum.

Secundum documentum est, ut consideretur, an is, qui scire aliquid tenetur, habuitque sufficiens principium cogitandi, vel dubitandi de tali obligatione, fecerit moralem diligentiam, iuxta qualitatem operis, vel ministerij accommodatam, & probabilis iudicio sufficientem, ut talem cognitionem acquireret: nam, si hoc fecit ignorantia, quæ postea relinquitur inculpabilis est. Vt, v.g. si homo sit indoctus, consuluit doctos viros, vel peritos in tali arte, & carentes morali suspitione, quod ex malitia, aut etiam ex sua negligentia possint decipere: si vero sit homo doctus, aut per se sufficiens ad talem cognitionem obtinendam: an doctores aliquos euoluerit, aut leges ipsas, vel statuta mediocri diligentia, vel labore inquisierit: nam, si ita se gessit, si quæ manserit ignorantia, merito inculpabilis existimabitur. Quæ omnia sunt nobis certa in foro conscientie: in foro autem exteriori sæpe præsumitur ignorantia culpabilis, quæ non est: nam prior excusatio non admittitur in exteriori foro, quia tota posita est in interiori actu, vel in aduerfentia naturali, quæ propari non potest, nisi probando vel iuste fuisse absentem, quando lex promulgata est, vel iuste fuisse impeditum, aut non habuisse à quo interrogaret, vel quid simile. Et fortasse auctores citati, qui priorem regulam constituebant, magis in exteriori, quam in interiori foro locuti sunt: nam in illo foro vix unquam admittitur excusatio censure, propter ignorantiam iuris, in legibus pertinentibus ad proprium munus, vel officium: nisi fortasse aliquis occasionem satis probabilem ostendat, ob quam adhibitam diligentiam suo muneri convenientem, talem legem potuit inuoluntarie ignorare. De hac re plura videri possunt in Cordub. lib. 2. Quæstion. q. 2. & 4.

Cordub.

Qui Ecclesiasticum præceptum inuincibiliter ignorat, etiam si contra ius diuinum aut naturale agat, non incurrit censuram.

30 **Q**uarto principaliter addendum est in hoc dubio, ignorantiam inuincibilem Ecclesiastici præcepti ita excusare à censura, ut quauis actus sit contra ius diuinum & naturale, & homo contra illud peccet, nihilominus censuram non incurrat. Vt, verbigit, si ignoret aliquis inuincibiliter prohibitum esse ab Ecclesia sub excommunicatione, ne quis clericus violenter legat, non incurrit excommunicationem, etiam si contra ius naturale, & diuinum iniuriam intulerit clerico. Ratio est, quia ille non est contumax præcepto Ecclesiæ: cum enim illud inuincibiliter ignoret, non potest contra illud peccare: cessante autem contumacia respectu Ecclesiæ, cessat etiam censura: quia est veluti fundamentum, & in eo genere adæquata causa eius: iuxta illud, Si Ecclesiam non audierit, &c. ut supra late declaratum est. Propter quod etiam diximus, aliquam monitionem præuiam ab Ecclesia factam esse de substantia, seu essentia censure.

31 At vero in hoc casu, de quo agimus, nulla monitio Ecclesiæ in tali homine præcessit, quia solum per præceptum admoneri potuit: præceptum autem si-

ne culpa eius, ad ipsius aures non peruenit, ut supponimus: & ita non potuit illud admonere. Atque hæc sententia à nobis breuiter exposita latius tractatur à Couarruuia cap. Alma, parte prima §. decimo, num. octauo, & sequentibus. vbi ipse contrariam defendit sententiam, quamuis fateatur hanc esse communem Canonistarum, Abbatis, Felini, Antonini in ca. Anobis, primo de Sentent. excommunic. Ioannis Andr. & Dominici in cap. secundo de constitution. in sexto. Quam magis etiam probant Angel. verb. Syluest. Excommunic. septimo casu ultimo, Syluest. verbo, Ignorancia, §. octauo, & in verb. Excommunicatio, 2 numero sexto. Idem tenet Nauarrus in Sum. cap. 27. numero decimosexto, & nu. 274. & Iacob. de Graffis, lib. 4. Decision. cap. 9. num. 13.

Couar.
Abb.
Felin.
Antonin.
Ioan. And.
Dominic.
Angel.
Syluest.
Nauar.
Graff.

Nec Couarruuia aliquod assertit fundamentum in contrarium, nisi ignorantia solius pœnæ non excusat à pœna cum à culpa non excuset. Quod ibi late ipse profectitur. Sed immerito confudit hæc quæstiones, nam, esto illud verum sit, quod statim examinabimus, nihilominus vera est assertio posita, quia hic non tantum interuenit ignorantia pœnæ, sed ignorantia totius Ecclesiastici præcepti, ut supponimus. Hæc autem ignorantia, licet non excuset culpam, ut contrariam iuri diuino, vel naturali, excusat tamen illam ut contrariam legi Ecclesiasticæ. Quando enim Ecclesiastica lex prohibet sub censura actionem aliqui intrinsece malam, non tantum pœnam, sed etiam nouam prohibitionem adiungit: & ita ex illo capite, seclusa ignorantia augetur illud delictum, & inobedientia, in qua consummatur causa censure: ideoque illa ignorantia non tantum occultat pœnam, sed etiam excusat culpam, quatenus ex illo capite nascitur, impedit etiam præmonitionem necessariam ante censuram, & ideo censuram, etiam excusat. Vnde in cap. secundo, de Constitutionibus in sexto generaliter, & sine limitatione dicitur, statuta Ordinarium non ligare ignorantes: constat autem huiusmodi statuta laxius ferri de rebus iure naturæ prohibitis, ut est furtum, de quo est sermo statim in eodem capite, & in cap. A nobis, de Sentent. excommunic. & similibus. Ex hoc vero textu aliqui putant esse in hoc distinguendum inter statuta ordinarium vel Summi Pontificis: immerito tamen, ut opinor: quod ostendam commodius in dubio sequenti.

22
Couarru-
uia ratio in
cōtrarium
soluitur.

33 Vltimo ex dictis in hoc dubio infero, non tantum ignorantiam, sed omnem etiam aliam causam vel rationem excusantem à culpa mortali transgressionem legis Ecclesiasticæ, cui est annexa censura grauis, excusare etiam à censura: ex illo principio, quod censura nunquam incurritur sine proportionata culpa. Itaque etiam vis, & metus, si talis, & tam grauis sit, ut rationabiliter excuset ab obseruatione legis humanæ, excusare poterit, etiam si illi legi censura annexa sit, ut in superioribus dixi. Idemque est in quacunque alia simili necessitate, quod etiam sumitur ex dict. cap. Excellentissimus. ii. quæst. tertia, ibi.

34 *Qui ex necessitate, vel ignorantia delinquit, auctoritate nostra per se absoluitur, id est, absoluti iudicentur, quia non incurrerunt, ut recte Glossa exponit.*

SECTIO IX.

An ignorantia ipsius censure eam excuset.



35 **I**N M vero occurrit secunda & maior dubitatio, an ignorantia inuincibilis, non Ecclesiastici præcepti, sed solius excommunicationis excuset, ne incurratur censura. Vt, verbi gratia, præcepit Episcopus sub censura, ut omnes tali die Missam audiant, scitque aliquis subditorum, Prælatum imposuisse præceptum audiendi Missam, ignorat autem inuincibiliter, vel etiam errore inculpabili existimat, nullam censuram impositam esse transgressoribus talis præcepti: ideoque audet illius

35
Dubium
proponi-
tur.

illius observationem omittere, dubium est an ille tunc incurrat censuram. De qua re variae sunt, vel esse possunt, opiniones.

Prima absolute affirmat, huiusmodi ignorantia sufficere ad excusandam censuram. Hanc esse communem Cononistarum testatur Couarruias in cap. Alma, 1. part. §. 10. numer. 9. & refert eos, quos in precedenti dubio insinuavi. Potestque fundari in hoc, quod censura est talis poena, quae peculiarem modum contumaciae, & inobedientiae requirit, qui non inuenitur in eo, qui ignorauit censuram, quamuis legem nouerit. Quod ita declaro, nam ad censuram incurram, necessarium est, ut praecedat monitio, non qualiscunque, sed sub comminatione censurae, ut in superioribus declaratum est: ille autem, qui sola lege admonetur, si inuincibiliter ignoret, censuram legi annexam esse, re ipsa non admonetur sub comminatione censurae: ergo non satis admonetur, ut possit censuram incurrere. Et hoc videtur esse sufficiens signum maioris, seu specialis contumaciae inueni in illo, qui rebellis est etiam post comminationem censurae, quae non inuenitur in eo, qui sine tali comminatione admonitionem, vel praeceptum suscipit: & ideo non videtur ita contumax, ut possit, & debeat censuram incurrere. Quod tandem declaratur, quia ob hanc causam fieri non potest censura pure propter peccatum praeteritum, licet commissum fuerit contra Ecclesiasticam legem: & consequenter habuerit rationem generalem inobedientiae respectu Ecclesiae: quia non habuit illam specialem, quae inuenitur post admonitionem, & iussione sub comminatione censurae: sed, qui peccat ignorans inuincibiliter poenam censurae, ita se gerit, ac si illa lex non esset censura munita: ergo non magis potest propter eam causam excommunicari, quam propter simplex peccatum commissum contra obedientiam Ecclesiae: cui non erat annexa censura.

Tandem confirmari hoc potest ex capite secundo de Constit. in Sexto. Vbi Papa dicit, se nolle, ut statutis ordinariarum ligentur, qui ea inuincibiliter ignorant: ergo illa lex extendi debet etiam ad eos, qui ignorant tantum statuta quoad censuras in eis politas. Hanc consequentiam probo primo ex generali regula, quod fauores ampliandi sunt, quantum vis verborum patitur: hanc autem interpretationem admittunt verba illa optime, & sine vlla violentia: imo rigor verborum videtur illam exigere, nam qui ignorat censuram latam per statutum, ignorat statutum, quoad praecipuam grauitatem, & rigorem eius: ergo comprehenditur sub illa lege, Secundo, quia lex illa formaliter loquitur de statuto ut vim habet ligandi, & illius efficaciam limitare, intendit propter vitandum animarum periculum: ergo etiam loquitur de ignorante statutum sub eadem ratione, scilicet quatenus habet vim ligandi. Tertio, quia illa lex aliquid nouum disponit, peculiari voluntate Pontificis introductum, ut patet ex illo exordio, *Ut animarum periculum obuietur, nolimus, & c.* ac vero si tantum statueret, ut ignorantes inuincibiliter totum statutum, quoad praeceptum, & censuram, eam non incurrerent, nihil noui afferret: quia illud non est ius positum, sed diuinum, & naturale: unde in nulla re subueniret animarum periculis: nam in eo iam satis subuentum erat iure naturae: ergo intentio Pontificis fuit, ut qui ignorauerit statutum etiam quoad solam censuram, illam non incurrat. Nec vero existimandum est, illam legem non esse generalem, aut non comprehendere statuta Papae, eo quod dicat, *statuta ordinariarum*, nam (ut ad hoc propositum notauit Syluester verbo *Excommunicatio* secundo, §. tertio, & verbo *Excommunicatio* ultimo, §. 3.) etiam ipse Papa est quidam Ordinarius, non tantum in sua particulari diocesi quod clarum est, sed etiam in tota Ecclesia: quia in ea ha-

Fr. Suarez. tom. 5.

ber iurisdictionem: non delegatam, sed ordinariam.

Secunda opinio est omnino contraria, scilicet, ignorantiam inuincibilem solius censurae, non esse satis, ut excuset hominem quominus censuram incurrat. Ita tenet Couarruias supra, & contrariam sententiam dicit esse maximam vel putandam existantiam: & hoc modo exponit opinionem Glossae in capite A nobis, secundo de Sententia excommunicationis, dicitque, esse sententiam Bartoli, Baldi, & aliorum Doctorum, qui vel generaliter, vel in communi loquuntur de poena, dicentes ignorantiam poenae non impedire, quominus transgressor legis poena eiusdem legis puniatur: alij vero in specie loquuntur, etiam de poenis canonicis, quales sunt censurae, ut Ancharranus, Alericus, & alij.

Nullum autem pro hac sententia affertur fundamentum, nisi hoc generale, quod ad incurrandam poenam non est necessaria scientia poenae: sed tamquam certum supponitur, nullam posse assignari in censuris specialem rationem, ob quam ab hac generali regula excipiendae sint. Illud autem principium probatur a Couarruiis primo inductione, nam blasphemus, homicida fur, & omnes similes, incurrit, & de facto puniuntur legalibus poenis talium delictorum, siue eas ignoreauerint, siue non.

Secundo ratione, quia vel scientia poenae esset necessaria ad peccandum contra legem vel ad consentiendum in poena. Primum dici non potest, quia sicut praeceptum superioris obligat ad culpam, etiam poena non sic sancitum, ita ad delinquendum contra legem satis est nosse legem, & illam transgredi, etiam si poena ignoretur. Secundum autem non est necessarium, ut quis iuste puniatur pro delicto: quia de ratione poenae non est, quod reus illam acceptet, vel in illam consentiat, nam potius de ratione poenae est, quod sit inuoluntaria: ut Theologi docent, vel saltem non est de ratione eius, ut sit voluntaria, nisi solum in foro poenitentiae, vel satis est, ut radicaliter, & remote dicatur voluntaria, in ipso delicto nam, qui vult delinquere, velit, nolit, virtute vult puniri, vel potius vult se constituere reum, & dignum poena, quam voluntatem habet, qui transgreditur legem, etiam si ignoret poenam, per talem legem impositam. Praeter hanc autem nulla alia voluntas requiritur, ut transgressor legis iuste poena legis puniatur: ergo neque ad incurrendas censuras maior scientia, vel voluntas necessaria est.

Tertio addere possumus, quod irregularitas iure annexa alicui delicto incurritur, non obstante ignorantia talis poenae: ut colligitur ex cap. Cum illorum, de Sent. excom. Imo ex hoc textu colligunt alij, etiam incurri excommunicationem iure latam, quauis ignoretur. Nam illa verba textus, *Iurisignarinessunt exinde se teneri*, videtur posse referri ad ignorantiam excommunicationis iure impositae, in violentum clerici percussorem. Addi potest pro hac sententia text. in cap. i. & ultimo, de Sentent. excom. in quibus supponitur, impuberes incidere in canonem, *Si quis suadente*, cum tamen verisimile sit, eos ignorare poenam talis canonis ob defectum aetatis: ita enim solent iura praesumere de tali aetate, ut patet ex lege i. §. *Impuberes*, Cod. de Falla monet.

Tertia sententia est distinctione vtens inter leges: nam quaedam sunt statuta Episcoporum, seu ordinariarum, sub quibus comprehenduntur omnia statuta particularia provinciarum, diocesum, religionum, & quaelibet alia particularia, & consequenter etiam statuta ipsius Pontificis pro solo Romano Episcopatu lata: nam secundum illum respectum optime comprehenditur Papa sub nomine *Ordinary*. Aliae vero sunt leges latae a Papa, ut est Pastor vniuersalis Ecclesiae: sub quibus comprehenduntur leges Concilij Generalis, quas oportet esse a Papa confirmatas, ut vim habeant obligandi. At ergo hac sententia, ignorantiam censurae in prioribus legibus

H

bus

86 Disp. IV. De causa propter quam censura ferri potest.

Panorm.
Scotus.
Adrian.
Maior.
Antonin.
Chayes.

bus excusare ne incurratur censura, in posteriorib. vero minime excusare. Hæc distinctio videtur placere Abbati, & aliis in dicto ca. *A nobis*, de Sent. excō. & pro ea citantur Scotus in 4. d. 6. q. 9. Adrian. in 4. q. 3. de Clauib. & Maior. in 4. distinct. 18. qu. 4. verfic. *Præterea nullus*, & Antonin. 3. part. summ. tract. 24. c. 75. §. 2. Et Thomas de Chayes in summ. Victorie de sacram. tractat. de Sacram. nu. 8. refert, Victoriam in neutram partem inclinasse, licet hanc distinctionē crediderit tutiorem, quam ipse probat.

Fundamentum huius sententiæ esse debet; quia hæc excusatio non est ex sola re in natura, id est, quia iniustum sit ita ferre censuram per legem, vt non obstante ignorantia incurratur: nam hoc videntur probare efficaciter fundamenta secundæ sententiæ: iure tamen positio, & humano potuit hæc indulgentia fieri, propter periculum animarum, quod imminet in censuris, si incurrantur. Habemus autē in iure positio hanc moderationem adhibitam in statutis ordinariis, in dicto capite secundo de Constit. in 6. quæ ex vi illius textus non extenditur (quidquid Siluester dicat) ad leges Pontificias, tum quia iuxta vsum iuris nomine *Ordinarii*, non comprehenditur Summus Pontifex, vt est vniuersalis Pastor, vt constat ex toto titulo de officio Ordinar. & ex aliis iuribus passim: & præcipue ex variis locis Tridentini. Tum etiam, quia superflue addita fuisset in illo textu illa particula *Ordinariis*: quandoquidem decisio illius textus in omne statutum absolute cadere dicitur. Addita est ergo illa particula vt restrictiua: & re vera hic frequens, proprius vsus illius vocis: Pastor enim particularis, & proximus respectiue vocatur ordinarius, vt parochus in sua parochia, & Episcopus in sua diocesi: & iuxta qualitatem materiæ, de qua agitur accipi solet: semper tamen additur ad distinguendum eum ab vniuersali Pastore. Vnde, quia condere statuta non pertinet ad Parochos, sed ad Episcopos, vel alios prælatos, qui iurisdictionem Episcopalem aliquo modo participant, ideo recte intelligimus, in illo capite 2. nomen ordinariis additum esse ad restringendam illam legem ad statuta Episcoporum, & excludendas leges Pontificias. Et ideo (quod etiam confirmat hanc sententiam) in iure communi, quod Pontificium est, interdum legimus ignorantes censuram canonis, illam nihilominus incurrere.

Quædam prænotanda pro questionis decisione.

Hæc sunt opiniones, quæ in hoc puncto occurrunt, & non sine probabilitatis specie. Antequam vero iudicium meum proferam, aduerto, ferre omnes auctores citatos, & plures alios de hac materia scribentes (quos sæpe omitto ne lectorem confundam, & distineam, præsertim quando ad indagandam, vel confirmandam veritatem nihil noui conferunt) illos (inquam) indistincte loqui de ignorantia statuti Ecclesiastici censuram ferentis, & de ignorantia solius censuræ, cum tamen, & re ipsa distinguantur, & effectus morales longe diuersos habere possint. Nam ignorantia statuti (de inuincibili semper agimus) excusat culpam, & inobedientiam Ecclesiæ: ignorantia autem solius censuræ non excusat culpam, vt euidenter probatum est inter confirmandam secundam sententiam. Nisi fortasse contingat, ex ignoracione censuræ oriri probabilem exultimationem, quod talis prohibitio Ecclesiæ non obliget sub mortali, sed sub veniali tantum, vt de lege Pontificia prohibente clericos adesse taurorū agitationibus, superioribus annis multi Theologi in Hispania opinati sunt: tunc enim ignorantia censuræ iam redundat in ignoracionem ipsius legis, id est, vt simpliciter, & absolute meretur nomen legis: excusatque à culpa mortali: & conse-

quenter tollit materiam censuræ: nos autem loquimur de præcisâ ignorantia censuræ, quæ simul sic cum scientia præcepti Ecclesiastici obligantis sub mortali.

Ex quo infero primo, distinctionem illam, quæ vititur tercia opinio, intellectam de ignorantia totius statuti Ecclesiastici, vt plane ab illis auctoribus intelligitur, non recte constitui. Quod autem hic sit eorum sensus, licet interdum vocent ignorantiam censuræ, interdum statuti; ex eo patet, quod propter hanc causam restringunt distinctionem ad illa statuta, quæ prohibent actiones alias per se malas, & iure nature, vel diuino prohibitas: nam si statutum sit de re aliqui non mala, siue illud sit ordinarij, siue Summi Pontificis, certissimum, & indubitatum est impedire censuram, quia excusat omnem culpam: & ita de hoc nulla est opinio diuersitas, vt patet ex Couarruuijs, supra; & Castro, libro secundo de Lege pœnali, cap. 14. & alijs. Quando vero statutum prohibet actionem, alias per se malam, non obstante ignorantia statuti, adhuc manet ratio culpæ: & ideo in illo maior fuit ratio dubitandi, & opinandi sub illa distinctione: indistincte autem loquuntur, quia respectu talis actionis pro eodem reputant ignorare censuram, & ignorare prohibitionem Ecclesiæ.

In quo nobis eorum sententia non probatur: nam, sicut in alijs statutis circa res non per se malas distinguitur plane ignorantia solius censuræ ab ignorantia totius statuti, vt probatum est, ita in statutis de actionibus per se malis similiter distingui potest. Est enim eadem ratio: quia ex parte obiectorum re ipsa distinguuntur, & habent etiam effectus morales longe diuersos: nam ignorantia statuti tollit inobedientiam respectu Ecclesiæ: ignorantia vero solius censuræ non omnino illam tollit. Et propter hanc eandem causam improbandam censeo illam distinctionem in hoc sensu intellectam: quia quod tunc non incurratur censura propter talem ignorantiam, non oritur ex speciali iure positio id disponente in statutis ordinariis, sed oritur ex ipsa rei natura, seu ex ipsa institutione, & conditione censuræ, vt explicatum est in præcedente sectione; scilicet, quia per talem ignorantiam tollitur contumacia, & inobedientia Ecclesiæ: quæ est proxima ratio censuræ. Respondent aliqui, quod, licet ad censuram latam ab homine requiratur contumacia, non verò ad latam à iure. Hæc enim distinctionem probauit Glossa cap. *Episcopi*, verbo *Minimus*, n. quæst. 3. Sed gratis confecta est, & contra rationem, & primariam institutionem censuræ, quæ non est alterius rationis dum fertur à iure, quam dum ab homine fertur. Si enim ius potest per censuram punire delictum simpliciter, & sine contumacia commissum: cur non idem poterit homo per sententiam? Denique supra ostēdimus, ideo censuram iure ferri, quia ius ipsum monitionem includit: sine qua censura ferri non potest. Hæc igitur ratio æque præcedit in legibus Pontificijs, vt manifestum est.

Atque ita cessat quoad hoc punctum totum fundamentum terciæ sententiæ. Cessant etiam rationes secundæ sententiæ; quia in hoc casu, de quo agimus, non ignorantia sola pœna, sed tota lex, vt explicui in superiori sectione. Iura verò, quæ in confirmationem secundæ & terciæ sententiæ afferuntur, efficacia non sunt, vt statim ostendam. Igitur quando absolute interuenit ignorantia inuincibilis statuti, vel legis Ecclesiasticæ præcipientis aliquid sub censura, siue sit lex Pontificis, siue aliorū inferiorū, siue de materia iure nature, phibita, siue de quacūq; alia re, excusat à censura. Solum poterit assignari discrimen, quod in iure communi, & Pontificio difficilius admittitur ignorantia inuincibilis, quam in alijs; illa verò proposita nulla est differentia. Atq; ita indistincte tenetur

tenuit Soto in 4. distin. 22. quest. 1. artic. 2. versus finem; Nauarrus capite 25. numero 274. & in Comment. cap. Fraternalis, 12. questio. 2. Vbi id confirmat ex cap. Si vero, 2. de Sententia excommunicat. Sed ille textus non est vrgēs, quia ibi est sermo de ignorantia facti, quamvis à paritate rationis possit inde argumentum sumi. Et ita sentit ibidem Innocentius, & eandem opinionem tenet Syluester, Angelus, & alij Summistæ.

Afferio prima.

Superest vt dicamus, quod proprie ad hoc dubium spectat, de ignorantia solus censuræ. De qua questione in primis opinor, nihil esse iure positum expresse statutum: sed sola ratione definiendam esse. Hoc probō, quia nullus textus ex iis, quæ afferuntur, de hac ignorantia loquuntur. Probatur primo ex illo capite 2. de Constitut. in quo absolute dicitur, *liget nolumus ignorantes*. Quæ verbaliter extendi possint ad eos, qui ignorant solam censuram, vt, probabiliter suadendo primā opinionem, argumentabamur: tamen simpliciter, & in proprietate sumpta id non significant: non enim dicitur aliquis simpliciter ignorare legem, eo quod tantum ignoret pœnam eius, si præceptum ipsum, vel prohibitionem non ignoret. At vero textus ille loquitur absolute de ignorantibus legem: ergo ibi nihil disponit de iis, qui solam censuram ignorat. Vnde fit, vt ex illo textu collegi non possit aliquid speciale concessum in hoc esse circa statuta ordinariarum: an vero aliquid aliud speciale ibi sit concessum de eisdem statutis infra dicemus.

Rursum alia iura, quæ afferuntur ad ostendendum in legibus Pontificiis hanc ignorantiam non excusare, nihil probant. Nam in cap. Cum illorum, de Sententia excommunicationis non est sermo de ignorantia censuræ, sed de ignorantia irregularitatis, seu præcepti prohibentis sub irregularitate; ne quis excommunicatus Ecclesiasticos ordines suscipiat, aut in eis ministret. Quod patet ex illis verbis: *Vel factum quidem scientes, iuris iurari nesciunt exinde teneri*; id est, nesciunt exinde se teneri ad non suscipiendos ordines: quod quidem esse potest, vel absolute ignorando excommunicationem, vel ignorando hunc particularem effectum, seu obligationem non suscipiendi ordines. Et licet verba possint ad verumque sensum referri: tamen satis commode possunt posteriori modo exponi; præferimus, quia facilius est ignorantia huius particularis effectus, & prohibitionis, præcepti sub pœna irregularitatis, quam ignorantia totius censuræ. Si ergo verum est ibi esse sermonem de sola irregularitate contracta non obstant ignorantia, non sumitur inde efficax argumentum ad censuram: quia irregularitas non semper requirit eam contumaciam, quam requirit censura: & potest imponi pro peccato præterito, imo interdum contrahitur absque peccato.

Secundo vero dicitur, in illo textu non esse sermonem de ignorantia inuincibili, sed de culpabili: quod patet, quia Pontifex ibi, eodem modo loquitur de ignorante factum per obliuionem, & de ignorante iuris, quo ex tali facto ligatur: & de utroque supponit contraxisse irregularitatem suscipiendo ordines, ideoque indigere dispensatione: ergo supponit talem ignorantiam inuincibilem non fuisse. Nam, si ignorantia facti fuisset inuincibilis, sine dubio excusasset omne peccatum in ordinibus suscipiendis; ergo excusasset irregularitatem: nam licet alia irregularitates contrahantur sine culpa, nō tamen hæc, quæ specialiter in pœnam imposita est: ergo idem fuisset de ignorantia iuris, si illa fuisset inuincibilis. Loquitur ergo Pontifex de ignorantia: quamuis non præsumit inculpabilem, cum

A sit vel de proprio facto, vel de iure notissimo.

Neque obstant verba, quæ inferius habentur in §. Si autem. Nisi, qui fecit, adultus fuerit, & discretus, vt *violenter contra obliuionem, & ignorantiam præsumatur*. Neque item obstat, quod propter hanc talem ignorantiam ibi conceditur aliqua indulgentia, seu faciliior dispensatio. Respondetur enim ad hoc secundum, ignorantiam illam, quamvis vincibilem, aliquo modo minuire culpam, dum minuit contemptum: & hoc satis est, vt facilius dispensatio concedatur. Vnde, quod prius dicitur, *violenter præsumi contra ignorantiam, vel obliuionem hominis discreti, non est sensus præsumi illam fuisse culpabilem*: sed potius est sensus præsumi nullam fuisse, id est, tale hominem non peccasse ex ignorantia, sed scientem vel videntem. Et reuera hoc in rigore significat præsumptio contra ignorantiam. Ex illo ergo textu nullum argumentum efficax sumi potest.

Minus autem probant cap. 1. & vltim. de Sententia excommunicat. nam in primo non supponitur, illos pueros impuberes indigere absolutione; sed solum dicitur, non esse mittendos ad sedem Apostolicam, quia eos ætas excusat: quod optime potest intelligi, excusari à culpa, & consequenter ideo non esse mittendos ad sedem Apostolicam, quia absolutione non indigent. Sicut statim in eodem textu ponuntur alij casus, in quibus non est necessarius adiutus ad sedem Apostolicam, quia in eis illa excommunicatio non contrahitur. Imo multi putant illā rixam inter clericos impuberes non sufficere ad peccatum mortale. Quod tamen absolute dici non potest, de quo infra suo loco. At vero in capite vltimo eiusdem tituli non est sermo de impuberibus, sed de pueris, qui in canonem inciderunt sententia promulgata: siue ante, siue post pubertatē. postulatq. se absoluti. Ex quibus verbis non potest præsumi, sermonem esse de pueris, qui habent ignorantiam censuræ: nihil ergo textus illi ad rem præsentem faciunt.

Afferio secunda.

Atque hinc satis improbatā manet tertia sententia, quæ prædictam distinctionem solum in positio iure fundabat, cum ostensum sit posituum ius nihil expresse circa hoc disponere. Quo fit, vt absolute illa distinctio locum non habeat: quia, secluso positio iure, ex natura rei nulla est maior ratio quoad hoc de legibus Pontificiis, quam de statutis ordinariarum, aut de conuerso. De omnibus autem vniuersè loquēdo, mihi magis absolute probatur prima opinio. Et ita in vniuersum assero, ignorantiam inuincibilem censuræ solius sufficere, vt aliquis ab incurrenda censura excusetur, etiam si alias simplicem Ecclesiæ prohibitionem non ignoret. Quam sententiam tenent Syluester, Nauarrus, Soto, & omnes alij, qui indifferenter loquuntur de ignorantia censuræ, & de ignorantia statuti. Verum est, eos loqui specialiter de excommunicatione; tamen ego suppono ex superius dictis, commune esse omni censuræ, quatenus censura est, vt requirat prænam monitionem sub comminatione eiusdem censuræ. Et ideo extendendam censuram hanc doctrinam ad censuram, quatenus talis est: quanquam non negauerim in excommunicatione rem esse magis certam, sicut etiam in eadem magis est necessaria.

Nec fundamenta secundæ opinionis difficilem habent solutionem. Nam ad decreta, quæ ex iure canonico afferuntur, iam responsum est. Ad rationem autem, & inductionem, quam Couarruias facit, concedo non esse fundandam hanc doctrinam in illo generali principio, vt nemo incurrat pœnam legis, si ignoret pœnam, cum delinquit contra legē (licet nonnulli Canonistæ illud principium admittant) ex istimo enim satis improbari prædictis rationibus

38 Disp. IV. De causa propter quam censura ferri potest.

nibus. Fundatur ergo hæc nostra sententia in peculiari natura, & conditione huius pœnæ, quæ est censura, quia requirit peculiarem modum contumaciæ, & inobedienciæ: eo quod non ordinetur per se primo ad puniendum delictum commissum, eo tantum, quod commissum est; sed ad emendationem eius, vel ad cogendum peculiari modo ne committatur, scilicet, sub illo peculiari, & rigoroso modo præcipiendi sub comminatione censuræ.

21
Ratio Nauarrus ad se-
cundam as-
sertionem
positam sua-
dendam.

Addit Nauarrus, quoties pœna est exorbitans & extraordinaria, cuiuscunque generis sit, si illa ignoretur, etiam si delictum committatur, non incurritur talem pœnam, seu reatum eius: secus vero esse in mediocri pœna ordinaria, & secundum prudentem rationem accommodata delicto. Excommunicatio autem (& idem est de quacunque maiori censura) est grauiissima pœna; & ideo si probabiliter ignoretur, non incurritur. Reddit autem apparentem rationem: nam licet pœna, ut sic, non postulet, ut sit voluntaria, & ideo non requirat consensum delinquentis in ipsam; requirit tamen, ut sit debita ex voluntate delinquentis: & ideo saltem requirit consensum in causam eius. Ut autem aliquis dicatur consentire in causam, non satis est, ut consentiat in rem, quæ est causa: nam si ignoret inuincibiliter ex tali re sequi talem effectum, reuera non vult talem effectum in tali causa: quia non consentit in causam, ut causa est. Sic ergo in præsentī, ut aliquis incurrat pœnam, debet consentire in culpam, ut est causa talis pœnæ: hoc autem ipso, quod quis consentit in culpam, moraliter consentit in illam etiam, ut est causa pœnæ proportionatæ, & ordinariæ, seu quasi connaturalis, etiam si in particulari nihil sciat de modo talis pœnæ: nam quo ad hoc satis est in generali scire, omnem culpam esse dignam huiusmodi pœna, quod nemo potest ignorare: ad consentiendum autem in culpam, ut est causa extraordinariæ, & grauioris pœnæ, non satis est illa generalis cognitio: & ideo si in particulari omnino ignoretur, non potest dici delinquens consentire in culpam, ut est causa eius: & ideo merito excusabitur, ne illam, vel reatum eius incurrat.

22
Nauarrus discursus con-
clauditur.

Qui discursus est quidem probabilis, præsertim in iudicio humano, & humanis pœnis: nam in diuino, & in pœnis, quæ nostris peccatis apud Deum debentur, habet difficultatem: nam oportebit dicere, omnes, qui inuincibiliter ignorant aternitatem pœnæ, eius reatum peccando non contrahere. Imo etiam in iudicio humano non facile admittetur huiusmodi excusatio. Neque illa propositio, quod ad iustam pœnam requiritur consensus in culpam formaliter, ut est causa talis pœnæ, id est, ut pœna præiusta fuerit expresse, vel implicite: vel saltem quod potuerit, & debuerit præiudici. Hoc (inquam) principium, nec per se notum est, neque vlla sufficienter ratione demonstratur: satis enim probabiliter dici poterit, sufficere consensum in culpam: nam ex vi culpæ, ita homo subijcitur potestati iudicis, ut possit ab illo puniri iusta pœna, vel iuxta leges, si in illis contineatur, vel eius arbitrio, si ei sit commissum: siue pœna sit huius generis, siue alterius, & siue sit moderata, siue rigorosa, dummodo non excedat proportionem delicti: hoc enim solum requirit æquitas iustitiæ ex parte delinquentis: optio autem pœnæ, legislatoris iudicio commissa est. Quocirca principium illud ita in vniuersali sumptum semper mihi suspectum est. Tunc autem illud existimo esse verum, quando ob interuenientem ignorantiam pœnæ, moraliter ita mutatur qualitas delicti, ut iam censeatur pœna excedens modum, & proportionem delicti: & huius modi existimo esse censuram, comparatam ad transgressi-

SECTIO V.

An vincibilis ignorantia excuset, ne censura incurrat.



Væstio procedit tam de ignorantia iuris, quam facti: nam quoad hoc eadem videtur vtriusque ratio. Videri autem potest ex dictis sequi, etiam hanc ignorantiam debere censuram, seu excommunicationem impedire: nam tollit propriam rationem contumaciæ. Qui enim ex ignorantia peccat, non potest proprie contumax dici: sicut qui ex ignorantia vincibilis errat in fide, non est vere hæreticus, quia non est pertinax: videtur autem esse eadē proportio. Item, qui ignorat legem, vel factum, etiam si culpabiliter id ignoret: tamen re ipsa non admonetur per legem, ne hoc factum committat: ergo deest illi aliquid essenziale ad censuram incurrendam. In contrarium vero est, quia ignorantia vincibilis non excusat culpam, etiam quatenus est contra obedienciā Ecclesiæ sub tali modo, & comminatione propositam: quia licet hæc ignorantia interdum minuat culpam ex parte voluntarij, non tamē ex parte obiecti, vel legis, quæ per talem culpam violatur.

1
Ratio dubi-
tandi pro v-
traque par-
te.

Hoc dubium procedit solum in legibus simpliciter, & absolute præcipientibus, vel punientibus aliquid sub censura: nam si lex adhibeat aliquam particulam, quæ ex proprietate suæ significationis requirit scientiam; tunc, etiam si ex ignorantia vincibilis id fiat, non incurretur censura: non quia hoc sit generale omnibus censuris, sed quia talis lex non luit censuram ferre, nisi contra sic peccantes. Quæ autem sint particulæ habentes hanc vim, cum his legibus adiunguntur, iam supra tactum est, & ex proprietate Latini sermonis, & significationis pendet: communiter autem esse solent hæc, *scientes, consules, qui præsumpserit, qui contempserit, qui temere, vel qui temerarius violator extiterit.*

2
De quibus
legibus pro-
cedat du-
bium.

Quamuis in his, & præsertim in vltima, dubitari possit, an qui ex ignorantia affectata talem legem transgreditur, censuram incurrat: nam reuera videtur satis temerarius violator legis: & ideo probabiliter potest timere censuram. Aliunde tamen non videtur eam incurrare: nam licet sic operari quædam temeritas sit; non est tamē directæ temeritas contra legem, de qua ipsa loquitur. Nihilominus tamen prior pars videtur securior: imo ut aliquis dicatur non temere transgredire legem, necesse est, ut, si suspicionem, vel dubitationem habet, talis legis aliqualem diligentiam adhibeat, ut sciat, an sit talis lex: alioqui temere se exponet periculo transgrediendi illam. Et si in re illam violare contingat, merito dicitur temerarius violator illius. Qui autem habet affectatam ignorantiam legis, necessario supponitur habuisse cogitationem aliquam, & suspicionem legis, & noluisse veritatem agnoscere: merito igitur dicitur temerarius transgressor. Propter quod etiam existimo huiusmodi hominem non excusari, etiam si lex vtatur verbo, *præsumpserit*: quia satis propria, & magna præsumptio est, ex directâ voluntate sic operari cum mortali periculo agendi contra legem, per quam censura inferretur. Et ideo, si cum tali voluntate in re ipsa committatur actus contrarius legi, merito dicitur ille ex præsumptione egisse contra legem & incurrisse censuram. Quod secus est in ignorantia tantum indirecte voluntaria, etiam si crassa sit, vel su-

3
Ignorantia
affectatam
non excusa-
re censuram
in temere
aut ex præ-
sumptione
agentes la-
tam.